

suffragium, cum tibi sit notissimus. Quapropter exoro te ut dignissimo viro servire velis; officia quæcumque erga illum præstaveris in me lubenter recipiam, semperque tanti beneficii memorem me habebis. Fac igitur ut inter hos qui regiæ Majestati offeruntur unus numeretur. Cum nostras linquet terras, fasciculum deferret tibi selectorum seminum, grati pectoris tesseram. Vale, vir optime, et me codem persequi studio ne desinas.

Parisiis die 6<sup>a</sup> Januarii 1746.

---

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO

DD. CAROLO LINNÆO,

PROFESSORI BOTANICO UPSALIENSI,

S. P. D.

BERNARDUS DE JUSSIËU.

SEMINA quarundam plantarum a te desideratarum nunc mitto et ut quam cito ad tuas perveniant manus vehementer exopto; hæc deferenda in se recepit lubentissime D. Cleberg quem tuâ summâ benevolentia beare dignatus es; præstita a te erga hunc virum bona officia sincerum mihi præbent amoris tui testimonium, quapropter quibus potero gratas animi mei actiones semper rependam. Quæ de opere tuo nuper edito significas,\* ut id commendem discipulis qui me quotannis in excursionibus botanicis per agrum Parisiensem concomitantur, hoc jucundissimo munere fungar eo lubentius, quod liber iste, diu desideratus, in historiâ naturali lucem novam affert, et quod aliunde de te verba facere amem; præterea scio quantum emolumentum receperint qui secundum principia tua student; memet experientia docuit. Poterit igitur tuus editor ea mittere exemplaria, 100 verbi gratiâ, et brevi, uti spero, si non omnia saltem plurima distrahentur. Bibliopola hujus civitatis ad tuum mittit epistolam, in quâ propositis a te et a D. Bæck respondet; is est honestissimus vir, insigni probitate clarus. Dissertationes tuas de Fico, de Betulâ nanâ, de Peloriâ, de Coralliis Balthicis, &c. habeo; traditæ mihi fuerunt vario tempore.

Nondum florere apud nos Ximenia, Baobab, Guiabara,† Simarouba (pro certo non

\* Operis hujus titulum indicare debuit epistola prior Linnæi, cujus itaque jactura demonstratur. Verisimile est fuisse primam editionem *Floræ Suevicæ* anno præcedente Stockholmiæ editam, etsi Floræ Parisiensium excursoriæ non plane aptam. Nam liber (*Genera Plantarum*), forsitan melius ad usum discipulorum accommodatus, Lutetiæ jam tribus abhinc annis, curante Bern. de Jussieu, reimpressus venundabatur.

† Synonymon *Coccoloba*.